



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. X. Virginis septem gaudia quaè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

in tumulo reconditus es, & in te oculos meos defigere destiti, iucundissimo tuo conspectu carens. His filio expositis, ita ipse inquit: quicumq. mater, primum tuū dolorem memoria repetens, me dominica precatione, & salutatione Angelica una implorabit, is respiciet, & à peccatorum suorum somno soluetur. Quòd si ad secundi doloris memoriam quis idem fecerit, eius omnia peccata delebuntur. Qui tertium memoria retinens idem praestiterit, à me uirtutes illas omnes feret, quas ob culpatum crimina homo amittit. Ob quarti doloris memoriā, corporis mei sacramenti, ante mortem praemium erit. Deniq. id facienti propter quinti doloris religionē, praesto, cum morietur, adero; illumq. mecum ad coelum efferam. Quid uerò homini christiano, Christi sanguine coempto magis cōuenit, quàm saepè animo acerbos dolores perpendere, quos ipse coeli rex passus est? & meditari, quàm grauibus curis Virgo sanctissima fatigata fuerit? Id dum piè facimus necesse est; ut nos peccata nostra remordeant.

## MIRAC. VIRG. X.

*Virginis septem gaudia quae.*

**Q**uot gaudia coeli regina laeta mente perceperit, ipsa benignè pio monaco exposuit. Ac primum illud esse dicebat, quia gloriae suae amplitudo Angelorum, & beatorum gloria maior est; secundum uerò, quia supra omnes Angelorum choros sanctissimae trinitati ipsa est proxima. Tertio loco se

co se maxima laetitia cumulari testata est, quia uti summi regis genitrix à coelestib. omnib. sanctissimè colitur. Se praetereà incredibiliter gaudere confessà est, cuius aspectu, ut dies solis clara lampade, coelestis regia splendet. Quinto uerò gaudio sanctissima parens cumulatur; quia quicquid ipsi placet, diuina trinitas solet adprobare. Huc accedit sextum, quod laetissima percipit, dum uidet aeterni regis benignitate illis, à quib. colitur, ea praemia repèdi, quae ipsa illorum meritis digna iudicarit. superadditur praetereà septimum, quia certò scit, gloriae suae magnitudinem nunquam ullo tempore tolli, aut minui posse.

## MIRAC. VIRG. XI.

*Virgo è furentis lupi faucib. puellulam eripit, & conseruat.*

**M**Atrona honestis morib. ornata, & summè pia, cuidam Virginis imagini summos honores habebat; quam submissè, cum propè illam pertransibat salutare consueuerat. Huius puella, dum ruri super area luderet, à lupo fuit surrepta, qui miseram in proximam siluam abstulit. Lupi multi clamantes persecuti sunt; sed minimè a dolescèntulam ei unquam potuerunt eripere. Mensae igitur accubebat mater, cum triste de filia nuncium allatū est. At ipsa, inquit, lupo filiam minimè laedet. Discumbens. n. sacellum illud petijt, in quo Virginis simulachrum tantopere uenerari consueuerat. E simulachri gremio filiolo ablato, flens ait, ò coelestum regina,

gina,